Quelle: http://manuscripta.at/?ID=901
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

cum patre egressus est. Et facta est caligo et apparuit ignis quasi clibanus transiens inter divisiones illas et consumens eas. Ecce signum. Et terminos terre promissionis diffinivit ei dominus. A rivo ocorula flumine egipti usque ad eufraten et populos eius nominavit.

De fuga agar et ortu ismaelis.

xvi Igitur saray non habebat liberos et dixit abre. Ingredere ad ancillam meam agar si forte ex illa suscipiam filios. Et ingressus est ad eam. Que cum concepisset despexit dominam suam et abram dissimulabat. Et ait saray. Inique agis contra me. Iudicet deus inter me et te. Cui abram. Ecce ancilla tua in manu tua. utere ea ut libet. Affligente eam saray illa iniit fugam. volens redire in patriam. quia egiptia erat. Et invenit eam angelus dum sisteret et viam ignoraret solivagam iuxta puteum qui est in via in deserto sur. Qui dixit ad eam. Unde venis. Et quo vadis. Et illa. A facie domine mee saray fugio. Cui angelus. Revertere ad dominam tuam et humiliare sub ea. Et rursum. Concepisti. et paries filium. et vocabis nomen eius hismael. Hic primo legitur nomen predictum a domino. quod prarum est. Manus eius contra omnes et manus omnium contra eum. Et e regione fratrum suorum figet tentoria. Quod tamen non de ipso legitur. sed de filio eius cedar. Tamen de gente eius hoc predictum est. quia sarraceni. vagi sedibus incertis gentes quibus desertum ex latere iungitur impugnant et ab omnibus impugnantur. Hoc autem precipue futurum erat secundum methodium quando .iiii.or principes de gente ismael quos etiam filios vinee vocat. forte pro insania tanquam ebrios. oreb scilicet et zeb et zebee et salmana egressi sunt de solitudine contra filios israel. qui victi per gedeonem reversi sunt in solitudinem de qua prodierant. Quod non legitur in genesi. Hic erit ferus homo. hebreus habet phara quod sonat onager. Super hoc ut dicit methodius dictum est. Onagri et capree a deserto omnem bestiarum supergredientur rabiem et mansuetorum numerus conteretur ab eis. Dicit enim de filiis hismael. Futurum est ut exeant adhuc semel et obtinebunt orbem terre. per .viii. ebdomadas annorum et vocabitur iter eorum via angustie. quia patrem illorum ismael vocavit dominus onagrum. In sanctis locis interficient sacerdotes. ibidem cum mulieribus dormient. ad sepulchra sanctorum religabunt iumenta. et hoc pro nequitia christianorum qui tunc erunt. de quibus dicitur. In novissimis diebus erunt homines se ipsos amantes et cetera. Et tunc implebitur quod dictum est per ezechielem. Fili hominis voca bestias agri. et exhortare illas dicens. Congregamini et venite. eo quod sacrificium magnum immolo vobis. manducate carnes fortium. et bibite sanguinem excelsorum. Cumque loqueretur dominus cum agar. pertransiit in turbine. et ipsa vidit posteriora eius et ait. Vidi posteriora videntis me. Et appellavit puteum viventis et videntis. quia vidit eam deus. et quasi vitam reddidit sitienti ostendendo puteum. Adhuc puteus agar ostenditur inter cades et barad. Que cum redisset peperit filium hismaelem. Abram erat .lxxx.vi. annorum cum natus est hismael.

De pacto circumcisionis et mutatione nominis abre et sarai.

Legitur in vita clementis. quod abraham alium habuerit filium de agar qui dictus est eliesforos. a quo ipse duxerit originem. x

Postquam undecentum annorum esse cepat apparuit illi dominus dicens. Multiplicabo semen tuum. et tu custodies pactum meum. hoc circumcidetur ex vobis et cetera. Sed antequam pactum exponat nomen ei mutat. Dicebatur enim abram. ex abba et ram. quasi abbaram id est pater excelsus. et addita est a. littera et dictus est abraha. quasi abhaam. quod sonat pater multarum et subauditur gentium. hebrei tamen dicunt quod de nomine suo tetragramaton e. litteram addidit deus abrahe. que tamen sonat a. ydioma enim eorum est scribere a. et sonare e. et e converso. R. autem super addita est causa eufonie. Et quia tunc tempore circumcisionis mutatum est ei nomen. cum circumciduntur imponunt hebrei nomina. Volens itaque dominus quasi quodam caractere populum suum ab aliis discernere. indixit eis circumcisionem sic. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. et circumcidetis carnem preputii vestri. Infans octo dierum circumcidetur. tam vernaculus quam empticius. cuius caro circumcisa non fuerit. peribit anima illa de populo. Quo cutello fieret. non est preceptum. Quare autem fiebat de lapideo. post dicemus. Notandum quod servus primo dictus est a servando. victores enim hostes victos quos ad vitam servabant servos dixerunt. Verna vero ut vernula aut vernaculus qui natus est domi. Empticius qui in propria persona emptus est. originarius qui servus glebe scilicet colonus. Dixit quoque dominus ad abraham. non ultra vocabis uxorem tuam sarai. sed saram. Cui dominus mutationem

De fuga agar et ortu ismaelis.

De pacto circumcisionis et mutatione nominis abre et sarai.